



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1656

§. 228. Et dicentes. Vah qui destruis templum Dei & in tribus diebus
reædificas? v. 29.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45533

mortificant. Laeta erat diuinitas peccatis nostris, Ecce magis se eisdem obiecit & saturata opprobrijs placata est nobis.

§. 228. *Et dicentes. Vah qui destruis templum Dei & in tribus diebus readificas? v. 29.*

Nunquid imprimis acuta tibi sagitta videtur, qua Christi diuinitatem attingunt, eumque mendacij arguunt, cum verbo execrationis *Vah*, quasi non sit dignus vt eius vltra verba audiantur, qui Principes Iudaeorum & populum ita clarè decepisset in verbo, quod vellet vti Dei filius, potestate sua diuina, Iudaicum templum tot annis, per mille operarios tractum, & sumptibus ingentibus paratum destruere, & in triduo readificare aliud nouum, tam pretiosum, & pretiosius forma & materia, & ornatu, & iam cum dedecore, cum mendacijs suis properaret ad mortem, sine effectu verborum suorum!

Quantum Christo Domino dolorem afferebant blasphemiae haec, quas audiebat, & simul peccata omnia praeterita, ac futura quae praesentia habebat! tanta enim erat perfectissima eius sapientiae cognitio, quae eadem & agnoscebat, & quam mala essent & dolore ac tactu digna intus perspiciebat. Qui dolor ex parte superiore in inferiorem deriuabatur, & inferior pars miserabiliter dolens in superiorem partem refundebat, praesertim cum ipsius tam delicata, & perfecta constitutio esset, vt plus in pleuissimo ictu laederetur, quam aliorum aliquis grauissimo ictu nihil potest dici ad rem hanc exprimentam aptius, quam quod dixit Isaias, qui eum vocat: *Virum dolorum*: ac si diceret virum ex doloribus conflatum virum ea temperatione & constitutione totius corporis quae ad omnes dolores sentiendos aptissima esset, vnde & addidit (*scientem infirmitatem*) hoc est qui experimento omnes dolores sciret. Didicit enim ex his quae passus est obedientiam, factus obediens in tormentis, & victima atque holocaustum Deo Patri, non igne visibili, sed inuisibili doloris incendio omnes artus, compages, fibraeque de pascente.

§. 229. *Saluum fac te metipsum descendens de cruce. v. 30.*

Valde penetrabile quoque est spiculum hoc, quo Christi diuinitatem lancinantes dixerunt, *saluum fac te metipsum descendens de cruce*, scilicet si filius Dei es. Ecce filij diaboli imitantur hic patrem suum, qui similiter dixerat *si filius Dei es mitte te deorsum*, vtrobique maligna suggestio, nec enim quis filius Dei erat descendere debebat de cruce, sed vsque ad mortem in illa permanere, vt superando mortem illud adimpleret, *Era mors tua o mors. nec descen-*